

Boji, ut dictum est, a Romanis ad Hannibalem defe-
cerunt, & primi fuerunt omnium in Italia, qui Pœno-
rum signa secuti sunt. Tertio deinde anno e Gallia
Cisalpina ad Hetruriam devenit Hannibal, ibique ad
Trafimenum Flaminium vicit. Inde Umbriam pertrans-
iens, atque Picoenum, in Apuliam venit; ad Mar-
fos, & Pelignos rediens, in Samnio stetit; Samnium
relinquens, ad Pelignos redit, ad Apulos, atque Cam-
panos.

Hæc circa tempora Campanorum defectionem ad
Hannibalem Livius narrat. Etenim Q. Flaccus, ratio-
nem Senatui reddens, quare Campanos arctissima ob-
fidione inclusos retineret, continuoque, acriterque,
divexaret, apud præfatum Livium, hæc de Campanis
refert: *Nulla in terris gens est, nullus infestior populus
nomini Romano; ideo eos mœnibus inclusos habeo; quia si
evaserint, alii velut ferae bestiae per agros vagantur, ut
lanient, & trucident quodcumque eis obviam datur; nam
alii ad Hannibalem transfugerunt, & alii ad Romam in-
cendendam profecti sunt.* Et Lucius Rufus apud eundem
Livium apertissime testatur, Campanos primos fuisse
ex parte hac altera, qui Hannibalis signa secuti fuerint;
ideoque pœnas enumerans, quibus eos Romani mul-
ctaverant, easdem asserit eorum sceleribus pares ne-
quaquam fuisse. *An Campanorum pœnæ, nec ipsi quidem
queri possunt, nos pœniteat? Hi homines, cum pro eis
bellum adversus Samnites per annos prope septuaginta,
cum magnis nostris cladibus, gessissemus, ipsos fœdere pri-
mum, deinde connubio, atque inde cognationibus, postre-
mo civitate, conjunximus, tempore nostro adverso PRIMI
omnium Italiæ Populorum, præsidio nostro fœde interse-
cto, ad Hannibalem defeecerunt; deinde indignati, se obsi-
deri a nobis, Hannibalem ad oppugnandam Romam mi-
serunt.*

Hæc